

extorquendum actum. Est unanims DD. de quo videndus est P. Patrillus Sporer *tract. 3. in 2. precept. Decal. cap. 2. sect. 1. num. 2. 2. 6. 29.* Item *tract. 6. in Decal. cap. 2. sect. 3. num. 23. 23. 29.* ubi seque ubi sufficienter hanc materiam pertrahat, quod Lectorem remitto.

33 IV. Ad valorem professionis requiritur consensus, & acceptatio illius vel illorum, ad quos spectat, aliquem ad professionem recipere. Miranda *tom. 1. quest. 24. art. 3.* Innocentius, & abbas, ac alii Canonistæ in *cap. Porrectum 13. de regul. Pirrhing, Layman lib. 4. tract. 5. num. 5.* Sanchez, Navarrus, cum communi, & certa aliorum *arg. cit. cap. Porrectum de regular. libi: Et recipitur ab Abbate, &c. ad Apostolicam 16. de regular. ibi: Abbate per se, vel per alium professionem recipientem.* Ratio est: quia professio est onerosa, & reciproca contractus, ultrò citroque obligans, professionem quidem ad observantiam regularem: Religionem verò ad eundem alendum, & juxta Ordinis Statuta, & constitutiones tractandum; consequenter consensus utriusque requiritur, sicut in aliis contractibus reciprocis. Residet autem de jure communi potestas recipiendi Novitios ad professionem penes Superiorem Ordinis, præsertim majorem, Generalem videlicet, aut Provincialem, ita tamen, ut prius necessariò requirere debeat Conventus, seu Capituli, aut Fratrum non tantum consilium, sed, & consensum, prout cum communi, & probabiliori docet Miranda *cit. art. 4.* Rodriguez, Sanchez, Pellizarius, Layman, Pirrhing, apud Reiffenstuel *cit. num. 168.* contra Abbatem, & paucos alios, volentes sufficere, si Prælatus consilium, & consensum à Conventu, seu Capitulo requirit, etsi non obtineat. Non tamen requiritur, ut singuli consentiant, sed sufficit, si major pars consensum præstet. Ex consuetudine nihilominus, vel statutis particularibus fieri potest, ut professio recipiendi ad professionem, ad solum spectet Superiorem; qui etiam aliis committere potest, ut suo nomine Novitium recipiat ad professionem, ex *cap. ad Apostolicam 16. de regular. ibi: Abbate per se, vel per alium professionem recipientem.* Ex his deducit nos P. Kerckhove in *statuta Generalia cap. 1. §. 1. num. 9.* Quòd si apud aliquos Regulares Novitio protestatio ante professionem ita fiat, si quid celaverit, nec Provincialis, nec Conventus consentit in tuam professionem, adeoque quoadcunque sciatur, tanquam invalidè professus ab ordine ejiceris. Tunc licet Novitius aliquid negans, forte non possit expelli ratione contractus invalidi, defectu consensus ex parte Prælati, & Conventus, si illud, quod subicitur, vel negavit, sit de re notabili. Nam ad valorem professionis requiritur consensus tam ex parte admittentis, quam ex parte profitentis, adeoque cum in hoc casu admittentem, tantum consenserint sub conditione, quòd talis defectus in proficiente non esset, conditione non existente, nihil operatur consensus, *cap. si pro te, de rescriptis in 6. de cap. præterea 2. de appellat.* Ita Miranda, Navarrus, Suarez *tom. 2. lib. 6. cap. 6.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 37. num. 30.* Diana *part. 4. tract. 4. resol. 88.* Bordonus *resol. 8. num. 10.* apud Passerinum *de hominum statibus quest. 189. art. 10. num. 120.* Rodriguez *tom. 3. quest. 11. art. 2.* & alii communiter apud Kerckhove *cit.* qui tamen admonet Superiores, ut in talibus protestationibus sint cauti, & sequantur suorum Ordinum constitutiones. Restat unum, & alterum non levis momenti dubium regulare.

Dubium Regulare prius.

An invalidè professus, contra suam professionem reclamare, Religionemque deserere possit.

34 Nota ex Lezana, & aliis, quos citat *tom. 2. vers. Professio Religiosa num. 20.* Aliqua impedimenta, ob quæ professio est nulla, & invalida, esse perpetua, alia solum temporalia. Perpetua dicuntur illa, quæ personæ inseparabiliter insunt, eamque semper ad profiendum inhabilem reddunt. Temporalia sunt, quæ etsi inhabilitatem ad professionem, possunt tamen moveri, ut est metus, defectus ætatis, consensus &c. Hoc notato.

35 I. Concilium Trident. sess. 25. de regular. cap. 19. statuit: Quicumque Regularis prætentat se per vim, vel metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velique habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenuerit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quòd si antea habitum spontè dimiserit, nullatenus ad allegandum quacunque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata

puniatur: interim verò nullo privilegio sui Ordinis juvetur. Hucusque Concil. Ex quo

II. Certum est, quòd detur reverà jus reclamandi contra professionem nulliter factam, & hoc competere cuivis Religiosæ personæ, tam viris, quam Monialibus nulliter professis, ex quacunque demùm causa professio sit nulla; ut autem legitima fiat reclamatio, tres conditiones sunt necessariæ, quarum unam, si negligit reclamans, non auditur, sed ad Monasterium redire cogitur, vel nondum egressus ibi manere compellitur. Prima est, ut ante deductionem, & probationem invalidæ professionis coram legitimo Judice faciendam, habitum non deponat, nec etiam absque licentia Superioris cum habitu, propria auctoritate discedat. Secunda est, ut causam nullitatis professionis ante egressum coram Superiore suo, & loci Ordinario conjunctim, legitime deducat, & probet. Tertia est, ut causæ nullitatis intra quinquennium à die professionis proponatur. Hæc omnia patent ex Concil. Trident. *cit.*

III. Si invalidè professus laboret impedimento temporali, & intra quinquennium non reclamavit, in foro externo via ordinaria non amplius auditur, etiam si alleget. & probare paratus sit, quòd intra quinquennium ignoraverit nullitatem professionis suæ, vel aliàs absque culpa sua à reclamando impeditus fuerit. Ita Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 37. num. 18.* Donatus, Pignatellus, Pellizarius apud Reiffenstuel *cit. num. 202.* ac plures alii contra Navarrum *lib. 3. Consil. Consil. 23. num. 3. tit. de regular.* Rodriguez, Suarez, Lezana, & plures alios. Ratio nostra est: tum quia Concil. Trident. *cit. ait,* quòd Regularis non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & non à die notitiæ, vel cessantis impedimenti. Tum quia aliàs non obviaretur litibus, nec Religionem gauderent tranquillitate, quod tamen fuit præcipua intentio, ac mens Concilii Tridentini. Tum quia hoc confirmant repetitæ Cardinalium declarationes apud Fagnanum. Objectiones solutas vide apud Reiffenstuel *cit.* Si verò invalidè professus laboret impedimento perpetuo reclamare, & est audiendus. Ita Portel. *vers. Professio nullæ reclamatio num. 52.* Lezana *tom. 2. vers. Professio regular. num. 21.* Pellizarius *tom. 1. tract. 3. cap. 5. quest. 25. num. 49.* & alii, quos citat apud nostrum Gaudentium Kerckhove *cit. num. 99.* Ratio est: quia non est præsumendum de Concilio Tridentino citato, quòd aliquid decreverit in detrimentum Religionum, cum per supradictum Decretum potius intenderit bonum, & emolumentum Religionum, atqui si laborans impedimento perpetuo professionem irritante, eo cognito non possit omni tempore reclamare, & non esset audiendus, certè statuisset aliquid in detrimentum Religionum, quia cogerebant personas perpetuo inhabiles retinere, eo quòd quinquennium tranfactum foret à professione irritata; atque ita Decretum in favorem Religionis editum redundaret in ipsius detrimentum, contra *61. regulam juris in 6. quòd ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum:* ergo invalidè professus laborans impedimento perpetuo professionem irritante, potest eo cognito, reclamare omni tempore, & est audiendus, adeoque illa clausula: *quacunque de causa,* quàm ponit Concil. Trident. *suprà num. 135.* citatum, quàm ad causas ibi specificatas, vel similes, ut ex Gomez, Rebuff. & aliis deducit Bonacina *de claus. quest. 11. part. 10. diff. 4. num. 7.* apud Kerckhove *cit. num. 97. in fine.*

IV. Invalidè professus cum impedimento perpetuo, quòd tamen in foro externo probare non potest, sicut etiam invalidè professus cum impedimento temporali, quòd etiam probare non potest, vel qui non auditur post quinquennium, si hi certò sciunt nullitatem suæ professionis, possunt tunc conscientia in occulto discedere, ac etiam nubere, dummodò sine gravi scandalo, aut alio majori incommodo, ac præjudicio abire possint. Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 37. num. 11.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 5. num. 7.* Navarrus, Pirrhing, Donatus, Reiffenstuel, & communis aliorum. Ratio est: quia professio est nulla; ergo nullam inducit obligationem manendi in Religione. Addit Sanchez, & Layman *lib. citatis,* & alii, etiam Superiorem, si certò credat, subditi professionem invalidè fuisse emissam, & postea non ratificatam, posse cessante scandalo, occultè dimittere talem, non obstante Decreto Tridentino, ut potest, quòd pro foro externo ex titulo præsumptionis latum, non ligat in foro interno, quando veritatem præsumptionis contrariam esse, constat. Nudè tamen asserenti, quòd fictè tantum professus sit, nec pro foro interno debet adhiberi fides, nisi attentis circumstantiis prudentissimus quisquis conjecerit, talem vera loqui: quia non est major ratio, cur tali potius tunc sit credendum, quàm antea, dum professionem simulavit. Ita cum Sanchez *cit.*

Dubium Regulare alterum.

An Religio possit expellere nulliter professum?

Respond. I. Cum P. Reiffenstuel *cit. num. 238.* Religio potest nulliter professum cum impedimento temporali, expellere, sed intra quinquennium à die professionis, & cum interventu Ordinarii. Ita Hyacinthus Donatus *tom. 2. tract. 12. quest. 35.* Bordonus *de profess. regular. cap. fin. & alii.* Ratio est: quia Religio, & Religiosus sunt correlativa, juxta omnes: de correlativis autem idem est iudicium, & dispositum de uno trahitur etiam ad alterum, juxta communem ex *Leg. fin. ff. de accepti.* Confirmatur ex Decreto Urbani VIII. apud Hyacinthum Donatum *cit. relato.* Affert etiam Pignatellus *tom. 1. consil. 89. num. 17.* plures declarationes Cardinalium, quarum una edita 16. Decembr. 1617. sic sonat: Eminentissimi Patres Sacri Concilii Tridentini interpretes ex communi omnium sententia censuerunt, Decretum ejusdem Sacri Concilii cap. 19. sess. 25. de regular. vendicare sibi locum, non modò, cum professus nullitatem suæ professionis allegat, causasque deducit: verum etiam, cum Superiores ipsi ex se illum ejicere tanquam invalidè professum.

Respond. II. Cum nostro P. Kerckhove in *nostra statuta General. cap. 1. §. 1. num. 97.* Invalidè Professus cum impedimento perpetuo, potest omni tempore, quò certò constat de invaliditate professionis & Religione ejici. Ita Rodriguez *tom. 3. quest. 17. art. 9.* Miranda *tom. 1. quest. 52. art. 2.* Peyrins, Pellizarius, Barbosa, & alii communiter apud Kerckhove *cit.* Ratio est: quia actus à principio nullus, nullum producit effectum ex *cap. presentiam. de Appellatione;* atqui talis professio à principio fuit nulla, nec ratificari potuit ob impedimentum inhabilitans, & invalidans perpetuum, ut supponitur: ergo ex ipsa nequit ori obligatio illum retinendi in Religione, & oppositum cederet in grave detrimentum Religionis, eo quòd cogerebatur perpetuo inhabiles retinere, adeoque Religio potest invalidè professum cum impedimento perpetuo, & Religione ejicere omni tempore; quò certò constat de invaliditate professionis; sed cum interventu Ordinarii. Ita Lezana *tom. 1. cap. 2. num. 53.* tum propter declarationem Cardinalium responsione præcedente adductam, tum propter declarationem Cardinalium die 25. Novembris 1653. editam tenoris sequentis: Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, auditio Procuratore Religionis Carmelitarum Disalceatorum S. Theresie, ore, & scriptis, nec non constitutionibus dictæ Religionis, ac aliis deducis mature perpensis, consuit dimissiones, & ejectiones professorum à Religione, quæ ab eadem Religione sunt ex capite illegitimitatis, vel ex alio defectu, fieri debere conjunctim coram Ordinario, & Superiore Regulari loci, ad præscriptum Sacri Concilii cap. 19. sess. 25. de regularibus.

Quinam sint effectus, prærogativæ, & privilegia professionis Religiosæ, ac status Religiosi, diximus capite præcedenti, *sect. 4. quest. 4. num. 435. & seqq.*

QUESTIO II.

De Obligationem Religiosi ex vi suæ professionis, & Votorum.

SUMMARIUM.

- 142 Religiosus vi suæ professionis tenetur sub mortali tendere ad perfectionem.
- 143 & seqq. Non tamen peccat semper graviter transgrediendo regulam, vel statuta.
- 148 Quid sit Religiosa paupertas?
- 149 An Religiosus habeat Dominum Manuscriptorum?
- 150 Quid Religiosus salva paupertate possit facere?
- 151 Qualem licentiam debeat habere à Superiore?
- 152 Ad Quid teneatur Religiosus ex voto castitatis?
- 153 De Clausura Regularium in genere.
- 154 De Clausura Monialium.
- 155 & seqq. Quis eam ingredi possit?
- 158 De Clausura Regularium virorum.
- 159 & 160 Quis eam ingredi possit?
- 161 Ad quid obligetur Religiosus ex voto obedientiæ?
- 162 An Religioso possint præcipi actus merè interni?
- 163 An Religioso præcipi possit, ut serviat infirmis cum periculo vite?

